

do et fallibilis. Sed hoc non recte dicitur; tum quia nullibi est nobis revelatum vel aliqua gravi auctoritate traditum, ex Dei ordinatione majus et abundantius auxilium esse necessarium ad singulos actus, quam ex parte actus vel ex parte liberi arbitrii necessarium sit; tum etiam quia, si minus auxilium sufficit, et multis datur, cur de facto non multi cum illo solo operabantur, si Deus non impediat? Quod si Deus impediat, jam illis non imputabitur, præterquam quod absurdissimum est id Deo attribuere. Tum præterea quia, si intercedat prædeterminatio physica, illa sufficit ad infallibilitatem providentiæ; si vero physica prædeterminatio tollitur, moralis per se non sufficit ad infallibilitatem providentiæ, nisi aliunde intercedat præscientia omnino infallibilis futuri, si talis motio Dei præcedat; quod si hæc præscientia supponitur et admittitur, non erit necessaria prædeterminatio moralis ad infallibilitatem providentiæ; ergo propter ordinem providentiæ non est necessaria talis prædeterminatio moralis. Denique ipsa experientia, et communis modus sancte operandi fidelium, ostendit non semper homines in actibus duci his vehementibus impulsibus, sed interdum a Spiritu Sancto sic moveri, interdum relinqui ut ordinario modo excitentur per fidem, et deliberent cum integra indifferentia, imo interdum cum repugnantia naturæ, vel aliarum difficultatum, sine tanta gratiæ impulsione. Non est ergo illa determinatio necessaria, per se loquendo, licet sit utilissima, et aliquando propter indispositionem subjecti possit esse moraliter necessaria, ut in citato loco latius dixi.

20. Neque video cur defensores physice prædeterminationis de hac assertionem sint solliciti, aut illi contradicant; nam si auxilium aliquod præveniens, non excitans, sed adjuvans, prædeterminat physice voluntatem, illud satis superque erit ad generalem (ut ita dicam) efficaciam auxilii simpliciter necessari ad singulos actus: ipsum autem auxilium physice prædeterminans non potest simul prædeterminare moraliter, quia non movet morali modo, cum non sit actus vitalis, sed pura motio, vel qualitas passive tantum recepta in hominis potentia, et per physicam determinationem ac efficientiam illam trahens ad efficiendum; ergo ipsummet auxilium physice prædeterminans, si datur, non prædeterminat moraliter. Neque etiam necessario supponit prædeterminationem moralem, quia, ut ipsi dicunt, collatio et operatio talis auxilii non

pendet ex tempore, loco, aliisque circumstantiis, neque ex aliqua dispositione liberi arbitrii; ergo, etiamsi non præcedat in arbitrio prædeterminatio moralis, dummodo objectum sit sufficienter propositum, poterit satis prædeterminari voluntas per solum auxilium adjuvans prædeterminans physice; ergo, in illorum sententia, non est cur sit hæc prædeterminatio moralis necessaria, cum physica sufficiat, semperque necessaria esse credatur.

21. *Fundamentis contrariis occurritur.* — Nec fundamentum contrariæ sententiæ probat necessitatem prædeterminationis, sed solum necessitatem præmotionis moralis; de hac enim motione loquuntur Scripturæ, cum dicunt Deum inclinare corda, immutare, convertere, et facere ut velint, etc.; nam hæc omnia per morales motiones præstat Deus, et per illas incipit in nobis operari, et cum illis perficit in nobis quod intendit, etiamsi ex parte excitantis gratiæ nihil addat, sed tantum ex parte adjuvantis. Accedit quod dicti auctores has omnes locutiones de motione physica per gratiam præviam adjuvantem et prædeterminantem interpretantur. Nos autem ostendemus illa omnia fieri per vocationem congruam, quæ prædeterminationem moralem non requirit, et a physica longe dissidet; nulla ergo prædeterminatio ex illis locis probatur. De illis autem principiis quæ ad inducendas rationes in testimoniis fundatas adducuntur, dico primum quidem verum esse, nam illæ locutiones, vel omnes, vel quamplures earum, propter vocationem efficacem dicuntur: male autem inde infertur illa dicta esse propter prædeterminationem; nam potest esse vocatio efficax sine prædeterminatione physica, vel morali, ut jam dixi, et in sequentibus late exponam.

22. Alterum autem principium falsum est, nam gratia excitans, sive sufficiens, sive efficax, dat actualem inclinationem, et non habitualem, quia talis gratia in actibus vitalibus consistit, ut dixi, ut est actualis cogitatio sancta, quæ motum aliquem in affectu movet, qui motus actualis inclinatio est, non habitualis. Nec refert quod auxilium sufficiens dicitur dari per modum actus primi, seu potentiae, nam id intelligendum est non quantum ad substantiam actus (ut sic rem declarem), sed quantum ad causalitatem respectu consensus liberi, ad eum modum quo intentio finis dici potest virtus et quasi actus primus ad electionem mediorum, et assensus præmissarum respectu assensus conclusionis, et amor rei pos-

sessæ respectu gaudii, et sic de aliis. Et in universum causalitas moralis per actus secundos fit, ut per consilium, petitionem, vel aliquid hujusmodi, et nihilominus ille actus secundus, et prævius, et inducens ad alium, dicitur esse per modum virtutis et actus primi. Cum ergo Deus inclinat corda per gratiam excitantem, actualem quidem præbet inclinationem, indeliberatam tamen ac necessariam, quæ, respectu actus perfecti et deliberati, per modum actus primi comparatur.

23. Ad alias tres rationes non esset necessaria nobis responsio, quia procedunt ex fundamento physice prædeterminationis, quod falsum esse credimus, et nihilominus addimus etiam ex illo non recte procedere, nam prima ratio solum probat ante physicam prædeterminationem debere præcedere moralem præmotionem, et inductionem per divinas illustrationes et affectiones, ut in ipsa forma argumentandi concluditur; non tamen inde infertur hanc inductionem debere necessario esse tantam, ut gradum moralis prædeterminationis attingat. Nam, ut voluntas connaturali modo operetur, minor inductio sufficit, imo tunc quodam modo liberius operatur, quando minus vehementer inducitur, ut patet in eo qui ex vehementi passione peccat; minus enim libere peccat quam qui suo arbitrio, sine passionis vehementi tractione, delinquit. Eadem fere responsio est ad secundam; nam, ut Deus moveat voluntatem hominis juxta naturam ejusdem voluntatis, satis est quod præcedat moralis motio et sufficiens inductio; quod si hoc non sufficit ut salvetur postea libertas in prædeterminatione physica, neque etiam sufficit quod præcedat moralis prædeterminatio; nam, ante prædeterminationem physicam major libertas cernitur in voluntate ad utrumque, ea nondum ad alteram partem moraliter prædeterminata; et post impressam prædeterminationem physicam æqualis necessitas physica ex illa oritur, sive moralis prædeterminatio præcesserit, sive non; quid ergo conferre potest talis prædeterminatio moralis, ut physica non tollat libertatem? Ad tertiam negatur consequentia quæ, quoad prædeterminationem physicam, supra, in fine libri tertii, tractata est; ostendimus enim ibi non esse necessarium ut Deus omnes causas physice agentes, etiamsi liberæ sint, prædeterminet physice, sed solum ut eas physice adjuvet cum eis efficiendo; et licet ibi solum de prædeterminatione per generalem concursum tractaverimus, eadem

est ratio de quacumque alia, ut in sequentibus videbimus. Quoad alteram vero partem, de prædeterminatione morali, etiam non est bona illatio, quia, ut Deus sit causa moralis nostrorum operum moralium, sufficit quod ad illa moraliter moveat et inducat, quod facere et sufficienter et efficaciter potest, sine prædeterminatione morali, ut sæpe jam dixi.

CAPUT IX.

PROPONITUR OPINIO AFFIRMANS EFFICACIAM AUXILII PRÆVIE CONSISTERE IN PHYSICA PRÆDETERMINATIONE VOLUNTATIS PER MODUM ACTUS PRIMI, AC PROINDE TALEM PRÆDETERMINATIONEM AD OMNES ET SINGULOS ACTUS PIETATIS ESSE NECESSARIAM.

1. *Propositio prima.* — *Secunda.* — Hanc opinionem, in hoc titulo præsentis capituli contentam, tenent in sententia plures ex recentioribus Thomistis; nam, licet interdum in verbis differant, re tamen vera in tribus propositionibus conveniunt, ex quibus eadem assertio sequitur, in qua rei difficultas consistit. Prima est, ultra id totum quod ex parte gratiæ excitantis necessarium est ad vocationem ut homo possit converti vel pie operari, ut actu convertatur vel consentiat necessarium esse ut Deus, sola sua voluntate et potentia, imprimat in hominis voluntate novam entitatem, quam vocant motionem virtuosam et efficacem, quæ non est actus vitalis, nec fit a voluntate, sed Deus solus illam efficit, voluntate mere passive se habente ad receptionem ejus. Secunda est, quod hinc sequitur receptionem hujus motionis non esse liberam voluntati, sed Deum pro solo suo arbitrio illam dare, vel negare; quia nec potest esse in se immediate libera voluntati, cum ab illa non pendeat effective, sed voluntas mere passive se habeat in illius motionis receptione, quod est contra rationem actus proxime liberi, ut in primo prolegomeno ostensum est; neque etiam libera est remote in aliqua dispositione libera voluntatis, quia talis libera dispositio requirit similem motionem præviam, et ita sistendum est in prima, quæ sine tali dispositione detur.

2. *Propositio tertia.* — *Auxilium de se et natura sua efficax est.* — Tertia propositio est, hanc motionem esse per se et physice activam consensus voluntatis, non quidem solum, sed cum ipsa voluntate, ita tamen ut in usu activitatis suæ non subdatur voluntati, sed illam potius sibi subdat, adeo ut, illa mo-

tione semel posita in voluntate, non possit voluntas illi resistere, suum actum sustinendo, nedam oppositum eliciendo, imo nec Deus ipse possit facere ut, posita illa motione in voluntate, non statim voluntas eliciat et exerceat actum propter quem illa motio datur, quia hæc est natura talis motionis, ideoque vocatur auxilium de se et natura sua efficax, quod ad hunc finem datur, et non potest esse sibi contrarium. Ex quibus principiis aperte sequitur assertio posita, nimirum hoc auxilium per modum actus primum determinare physice voluntatem ad unum actum, et ad exercitium ejus prius natura quam illum eliciat, et nihilominus aiunt illum elicere libere, quia sub illa motione manet semper potestas voluntatis ad non habendum illum actum, et tota illa determinatio fit modo accommodato libertati voluntatis.

3. *Distinguuntur auxiliorum ordines.*—Hæc sententia solet imprimis tribui Gregorio et Capreolo, qui ex parte quidem illam docuerunt, non tamen omnino, ut supra lib. 1. retuli, quia non per se, neque ex propria ratione actuum supernaturalium, talem motionem postulant, sed solum in lapsa natura, ob illius defectum, et impotentiam ad bene operandum, et quoad hanc partem ibi illam impugnavimus; quantum ad id vero, in quo cum prædicta opinione consentit, in hunc locum illam remisimus. Sententia ergo quam proposui recentior est, eamque magna asseveratione defendunt Theologi sacri Ordinis Prædicatorum, et aliqui dicunt incepisse temporibus Magistri Soto, qui eam indicavit lib. 4. de Natur. et grat., cap. 16; ibi tamen nihil reperio quod ad causam pertineat; imo, cum tres ordines auxiliorum seu donorum distinguat, in primo ponit eos motus qui a Deo fiunt in nobis, sine nobis libere consentientibus, non tamen sine nobis vitaliter coefficientibus, ut expresse declarat; in secundo ordine ponit actus gratiæ, quos Deus principaliter facit in nobis, non tamen sine nobis libere cooperantibus; in tertio ponit gratias quas Deus solus facit in nobis, sine ulla proxima et immediata coefficientia nostra, licet in adultis liberam dispositionem supponant, et in hoc ordine habitus per se infusos constituit. Nullum vero auxilium actuale ponit quod vitalis actus non sit, vel quod a Deo solo fiat in homine passive tantum se habente, et nullo modo se ad illud disponente. Determinationis autem vel prædeterminationis, quæ a solo Deo fiat, nullam mentionem facit, imo semper attentissime

dicat Deum ita movere hominem, ut potestatem resistendi nobis relinquat. Et quamvis dicat Deum prius natura nos movere, illud longe diversum habet sensum. Præterquam quod in eo capite multa habet Soto, quæ illi prædeterminationi repugnant, ut in fine libri tertii tetigi, et in sequentibus dicam.

4. *Quis ex recentioribus Thomistis sententiam illam magis insinuare cæperit.*—Primus ergo ex recentioribus Thomistis qui sententiam illam magis insinuare cæpit, videtur fuisse Medina 1. 2, quæst. 10, art. 4, ubi generaliter de concursu Dei cum causa libera disputat; quæstione tamen 109, art. 2, in fine, generalius loquitur, et specialiter agens de auxilio gratiæ, art. 10, dub. 2, in tertia assertionem, et in fine articuli, ad tertiam et ultimam dubitationem, hanc sententiam indicat; nunquam tamen utitur verbo *prædeterminandi*, aut *prædeterminationis*. Neque declarat quid addat auxilium efficax supra sufficiens; imo, licet dicat addere aliquid, nihilominus in illa ultima dubitatione ait: *In eo qui sequitur vocationem, esse aliquem modum, vel ablationem alicujus impedimenti, vel aliquid simile nobis occultum, quod non est in eo qui similem vocationem non sequitur*; quæ certe doctrina neque necessaria est, si prædeterminatio semper requiritur, neque cum illa recte cohæret, quia, posita in uno prædeterminatione, et non in alio, parum refert quod in cæteris vocatio sit æqualis in utroque, ut recentiores Thomistæ ingenue fatentur, sicut infra videbimus. Magis igitur distincte illam doctrinam tradit Bannez, prima parte, quæst. 14, artic. 13, dub. 2, conclus. 3, cum dubiis sequentibus; et quæst. 19, artic. 3 et 4; et quæst. 23, art. 3 et 5; et omnia in summam redigit 22, quæst. 10, artic. 1, document. 3. Postea in defensionem ejusdem sententiæ integrum opus scripsit P. Franciscus Davila, ubi, cap. 13, 22 et 27, clarius dicit hoc auxilium a solo Deo fieri in voluntate ipsa mere passive se habente, et ex illo sequi consensum, non tantum infallibiliter, sed etiam inevitabiliter. Alius vero ejusdem sententiæ defensor dixit *immobilitèr*. Nunnus Cabezudo, tertia parte, quæst. 62, artic. 5, quæst. 2, præsertim ad 8 et 11, et circa finem; consentit P. Didac. Alvar., super Isaiam, cap. 40; postea vero ex professo materiam tractavit in lib. 4 de Auxil., qui totus hac doctrina respersus est; in lib. tamen 9, disputat. 83, et sequentibus, copiose de hoc puncto disputat, acriterque sententiam recitam defendit. De quo argumento etiam scripsit

Petr. Ledesm. tractatum copiosum de Auxiliis, præsertim in principio unicæ quæstionis, et artic. 1, 5 et sequentibus. Alii etiam recentiores ejusdem ordinis Magistri in ejusdem doctrinæ defensionem suos tractatus, relectiones, aut controversias scripserunt.

5. *Distinguit Cumel tres modos prædeterminationis.*—Eandem sententiam docuit magister Cumel, part. 1, quæst. 14, artic. 13, quæst. 19, artic. 8, et quæst. 23, artic. 5, et 1. 2, q. 111, artic. 3, disp. 5, et pro illa postea late pugnavit in toto fere opere opusculorum, præsertim tom. 1, disputat. 5, conclus. 3, ubi distinguit tres modos hujus prædeterminationis. Primus est, quod Deus determinet voluntatem sola sua potentia, efficiendo actum secundum in ea. Secundus est, ut Deus efficiat præviam formam, vel motionem prædeterminantem voluntatem, etc. Tertius est ut solus efficiat actum secundum in voluntate, et nihilominus illam prædeterminet, quia prius natura facit actum. Et primum modum expresse rejicit tanquam omnino falsum, et continentem errorem Lutheri. Postea confuse loquitur de aliis duobus modis, et magis videtur sequi tertium, nam in declaratione assertionis, § *Restat igitur*, concludit intelligens assertionem de auxilio gratiæ *Dei efficaci præmonente nos efficienter proprie, seu prædeterminante voluntatem quæ se determinat sub hac determinatione Dei, et se agit, Deo efficienter inchoante, et voluntate simul se movente; non in alia duratione, nec in alio instanti, aut in aliquo priori, in quo Deus agat, et non ipsa.* Et in hoc sensu latissime probat suam sententiam. At verba illa omnia, ut sonant, non sunt contra nostram sententiam, ut ego distincte satis in libro tertio de auxilio declaravi. Unde hic auctor non videtur ausus opinionem hanc de prædeterminatione in actu primo per formam vel motionem præviam declarare vel defendere. Infra vero, post multa quæ pro sua sententia allegat, iterum eandem assertionem pluribus verbis explicat, et aperte dicit hanc gratiam prædeterminantem dari *per modum principii*, imo esse formam dantem voluntati totam vim agendi, nam liberum arbitrium nullas habet vires ad actus supernaturales, quamvis paulo inferius etiam modum de prædeterminatione in actu secundo insinuet, ut infra dicam. Huic etiam sententiæ adhæsit Cabrera, 3 part., quæst. 8, artic. 4, per plures disputationes, et quæst. 62, artic. 1, disputat. 8 et sequentibus, ubi latissime pro physica prædeterminatione pugnat, licet in modo ex-

plicandi illam nunc cum cæteris sentiat, nunc dissentiat, et variis modis loquatur, quos obiter suis locis attingemus. Cum his etiam auctoribus videtur sentire Petrus Trigosius in Commentar. ad Bonaventur., prima parte, quæst. 14, artic. 5 et 6, dub. 1, et quæst. 15, artic. 2. Alii plures antiqui et moderni pro hac sententia allegantur; quanto vero fundamento, infra videbimus.

6. *Ponuntur fundamenta capitalia pro sententia.*—Fundamenta capitalia hujus sententiæ duo esse possunt. Unum est philosophicum, nimirum, causam primam præmovere secundam per concursum generalem, et applicare illam ad agendum in omni operatione sua, ac subinde prædeterminare physice illam, si libera et ex se indifferens ac indeterminata sit. Juxta quod principium, auxilium efficax in ordine gratiæ non est aliud, nisi concursus generalis ordinis gratiæ, et in illo prævius, servata proportione ejusdem modi necessitatis et efficientiæ cum concursu prævio generali ordinis naturæ ad opera ejusdem ordinis, tam necessaria, quam libera, et in hoc unico fundamento procedunt omnes fere moderni Thomistæ, maxime vero Ledesma et Alvarez. Sed in hoc sensu jam est a nobis terminata quæstio in dicto lib. 3; ostendimus enim ibi neque in naturalibus causis, neque in liberis, ad actus ordinis naturalis necessarium esse talem prævium concursum, et consequenter neque ad actus supernaturales esse necessarium ex vi generalis influentiæ primæ causæ, vel subordinationis et dependentiæ cæterarum ab ipsa. Unde etiam ex ibi dictis constare potest frustra induci Scripturæ testimonia, in quibus Deus dicitur facere ut velimus, vel emollire corda nostra, vel auferre cor lapideum, et dare cor carneum, propter auxilium efficax hoc modo explicatum, id est, propter solum concursum prævium in modo suo communem omnibus actibus liberæ voluntatis; quia (ut ubi argumentabamur) ratione illius concursus, si detur, etiam dicitur Deus facere ut voluerit Judas vendere Christum, et ut illum vendiderit, et per veram, ac propriam et positivam efficientiam coram obdurare, et tollere cor carneum, et dare lapideum, et similia quæ ex illo principio ibi late probavimus. Quam vero sint absurda per se satis notum est.

7. *Auxilium efficax non esse necessarium ex aliqua radice, seu origine indifferenti: regula Augustini.*—Quapropter observanda est in hac materia regula ex doctrina Augustini desumpta, auxilium efficax gratiæ non esse ne-

cessarium ex aliqua radice, seu origine indifferenti (ut sic dicam), seu communi bonis et malis actibus, alias non minus Deo tribui possent mala quam bona, quod perabsurdum est, non solum de malis ut mala sunt, sed etiam de ipsis actibus qui sine malitia non fiunt, ut ibidem ostendi. Sumitur autem hæc regula ex Augustino, libro de Grat. Christi, capite decimo-septimo, quatenus Pelagium, qui dicebat ideo bonam operationem non tantum nobis, sed etiam Deo tribui, quia posse nobis donavit, impugnat; nam hoc modo etiam mala operatio tribuenda esset Deo et nobis, quia illud etiam posse nobis donavit: *Atque ita, inquit (quod absit), quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, sic cum illo culpamur in malis, possibilitas enim illa quam dedit, tam nos facit posse bona quam mala*; sic ergo nos dicemus; efficacitas enim illa, quam per concursum prævium dat, tam nos facit mala velle aut facere quam bona; utrumque enim de malis eadem ratione et proportionem intelligendum erit, utique de actibus malis; nam, juxta doctrinam Augustini, possibilitas malitiæ moralis, ut talis est, non ex Deo est, sed quia sumus ex nihilo. Et eandem rationem ac regulam repetit Augustinus, eodem libro, cap. 27, et eodem modo libr. de Spirit. et litter., cap. 34, tractans verba Pauli: *Quis enim te discernit?* attingit expositionem quæ cogitari posset, dicendo, ideo discretionem tribui Deo, licet fiat per liberum arbitrium, quia Deus dedit liberum arbitrium; et refutat, quia liberum arbitrium commune est bonis et malis, et ita non minus Deus diceretur auctor mali quam boni, si solum ratione liberi arbitrii dictum esset: *Quis enim te discernit?* unde concludit non dici homini fideli: *Quis te discernit?* quia liberum arbitrium recepit, quo posset credere, sed ideo: *Quia visorum suasionibus agit Deus ut credamus*, etc. Ergo a fortiori si diceretur fideli: *Quis te discernit?* quia per concursum prævium efficacem Deus determinat voluntatem ejus ad credendum, pari ratione, infidelis qui credere noluit dicere posset: Deus me discevit, quia meam voluntatem efficaciter prædeterminavit, ut nollem credere.

8. *Exploditur responsio aliquorum.* — Et eodem modo, lib. 2 de Peccat. merit., cap. 18, explodit responsionem dicentium bonum actum voluntatis tribui Deo, quia dat et conservat voluntatem, sine qua actus ille bonus esse non posset, quia hoc commune est actibus malis, et ita malus actus tribuendus esset Deo,

quod (inquit) nefas est dicere. Est ergo regula constans in doctrina Augustini, efficaciam illam, ob quam boni actus specialiter tribuuntur Deo, non esse ponendam in aliqua effectione vel motione Dei, ex genere suo communi bonis actibus et malis: concursus autem causæ universalis et prævius efficax, si datur, communis est, servata proportionem, actibus malis et bonis. Non igitur recte nec consequenter ad doctrinam Augustini ponitur illa efficacitas auxiliæ gratiæ, in sola ratione et necessitate universalis concursus. Huc accedunt rationes præcipuæ sumptæ ex libertate auxiliæ ad actus gratiæ, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, quæ per illum modum efficacitæ destruitur, simulque sufficientia auxiliæ talem efficaciam non habentis e medio tollitur, quas rationes in capitibus sequentibus prosequemur, explicato prius alio principio, seu modo fundandi hanc sententiam.

9. Alii ergo hoc genus auxiliæ efficacis prædeterminantis physice requirunt, non ex indigentia concursus prævii universalis omnibus actibus, sed ex peculiari necessitate inventa in operibus bonis voluntatis. In qua etiam sententia est varietas; nam quidam existimant necessitatem hanc non esse per se ex vi et natura supernaturalium actuum, sed esse quasi per accidens ortam ex peccato originali, et corruptione lapsæ naturæ, et ita censuerunt Gregorius et Capreolus in 2, dist. 28, ad 12 argumentum. Qui proinde non solum ad supernaturales actus, sed etiam ad quoslibet bonos morales ordinis naturalis, illam præmotionem specialem Dei requirunt, non tamen in omni natura, vel in omni statu, sed in natura humana lapsa. Sed de hac sententia nihil denuo vel peculiare dicere necesse est; tum quia non pertinet ad verum auxilium efficax, quod ad omnes et singulos actus pietatis in omni creatura intellectuali, et in omni statu ejus necessarium est, ut cap. 3 declaravi; tum etiam quia sine ulla ratione vel fundamento requirit talem motionem ad singulos actus naturæ lapsæ, præsertim ordinis naturalis, si per se non est talis necessitas in omni statu liberæ naturæ, ut late in libro primo declaratum est et probatum; tum denique quia multo minus potest hoc modo ratio reddi cur, propter naturæ lapsæ corruptionem, tam efficax prædeterminatio necessaria sit, si alioqui non erat per se necessaria; nam ad supplendam debilitatem et infirmitatem lapsæ naturæ in bene operando et libere, sufficit addere vires illam

infirmitatem suppletentes et adjuvantes, etiamsi non prædeterminent voluntatem, sicut in statu innocentiae ex eorundem auctorum sententia erant vires sufficientes sine prædeterminatione. Fateor tamen me non legisse in illis auctoribus, quod expresse asserant præmotionem illam talem esse, ut omnino ac physice prædeterminet voluntatem, ita ut voluntas pro sua libertate non possit ei resistere; solum enim aiunt liberum arbitrium in natura lapsa sine illa motione bene operari non posse, non tamen dicunt cum illa non posse non operari: videtur autem id sequi ex eorum dictis, et ideo in libro primo quoad utrumque illam sententiam impugnavimus, et quoad secundam partem, quæ huc spectat, a fortiori impugnabitur simulque, cum modernorum sententia.

10. *Auxilium efficax ob peculiarem difficultatem actuum supernaturalium dicunt necessarium.* — Alio igitur modo ac fundamento asseritur necessitas talis auxiliæ per se efficacis ac prædeterminantis, ob peculiarem difficultatem actuum supernaturalium, quam rationem defendit Alvarez, disput. 24, num. 37, et videtur loqui de speciali difficultate quæ nascitur ex statu naturæ lapsæ, nam allegat D. Thomam 1. 2, quæst. 109, art. 9, in ratione secunda, quæ de hoc statu peculiariter procedit. Sic autem ratio non sufficit, quia gratia efficax, ut supra dictum est, in omni statu requiritur. Item, quia ad singulos actus pietatis est necessaria, quod non nascitur ex statu, sed ex natura talium actuum. Ex illa ergo sumendum est fundamentum hoc, quod potest in hunc modum explicari: quia tanta est eminentia actuum supernaturalium, ut ad eos voluntas nostra ex se sit omnino impotens, et ideo indiget supernaturali virtute, per quam totam vim agendi recipiat; ergo illi non sufficit habitualis virtus, sed quoties in actum prodire debet, indiget peculiari et actuali elevatione, quæ non potest fieri nisi per peculiarem motionem prædeterminantem; quia, si motio non sit prædeterminans, non erit actualis, nam ex se poterit esse sine actuali operatione, ac subinde per modum habitus, et tunc indigebit potentia alia præmotione actuali ut elevetur, et ne procedatur in infinitum, sistendum est in tali motione, quæ et det supernaturalem virtutem proprie efficiendi actum supernaturalem, nam hoc est necessarium ut elevet potentiam, et simul illam elevet, ut illam operari faciat efficaciter, quia alias erit necessaria alia præmotio ut voluntas inchoet suum consen-

sum, cum voluntas ex se non possit illum in supernaturalibus inchoare.

11. Hoc fundamentum non invenio ita propositum vel explicatum in defensoribus hujus prædeterminationis; insinuat tamen ab eis in aliquibus rationibus, et argumentis suis, ut infra videbimus. Atque ita fundamentum hoc reducitur ad hanc rationem theologicam, quia actus liberi gratiæ sunt supernaturales in se; ergo non possunt fieri a voluntate nisi elevata per motionem actualem ejusdem ordinis ad physice agendum, et inchoandum efficaciter actum. Et confirmatur: nam hoc maxime urget, si verum est quod nos asserimus, voluntatem in his actibus operari ut instrumentum Dei, nam instrumentum non agit nisi motum, et dum movetur non potest in sensu composito non moveri, et hoc est prædeterminari. Huic vero rationis fundamento adduntur omnia Scripturæ testimonia, in quibus soli Deo, ejusque voluntati, aut gratiæ, vel motioni, hi actus tribuuntur, et Concilia ac testimonia Patrum, præsertim Augustini et D. Thomæ; sed hæc omnia distinctius proponuntur sigillatim in variis capitibus distributa, et ideo illa nunc omitto, et ad iudicium de hac sententia ferendum accedo.

CAPUT X.

DIRECTE OSTENDITUR AUXILIUM EFFICAX NECESSARIUM AD SINGULA SUPERNATURALIA OPERA, NON POSSE CONSISTERE IN MOTIONE VEL QUALITATE PRÆDETERMINANTE PHYSICE IN ACTU PRIMO VOLUNTATEM AD CONSENSUM.

1. Duo asseruntur in sententia relata in capite præcedenti: unum est auxilium in actu primo prædeterminans voluntatem, esse possibile simul cum usu libertatis; aliud est illud esse necessarium ad singulos actus. Nam illud prius supponitur, ut fundamentum fideli non destruat; hoc vero posterius additur, quia alias per illud auxilium prædeterminans non explicaretur adæquate ratio auxiliæ efficacis, cum hoc ad singula opera necessarium sit, ut supra vidimus. Ex illis vero duobus, secundum est magis rigorosum, magisque restrictum, nec potest subsistere sine primo, e contrario vero primum punctum ex hypothesi posset subsistere sine posteriori, id est, licet esset verum, posset salvari sine secundo; quia quod est necessarium, etiam possibile, non vero e converso; et ideo prius de hac posteriori parte illius sententiæ dicendum est, in qua omnes